

cumstantiæ non sunt pure aggravantes, sed de se speciem constituentes, tunc malitia illa correspondens circumstantiæ subordinatur malitiæ, quæ est ex objecto, ita ut ex utraque fiat una essentialis malitia, et una species, sive habent se ut prædicatum superius, et interiorius, ut species subordinata generi. Quam sententiam tenet Conradus hic quæst. xviii, art. x. Et fundatur in aliquibus exemplis. Nam videmus species luxuriæ variari per istas circumstantias, sicut incestus est species luxuriæ, quia est cum consanguinea; adulterium, quia cum uxorata; stuprum quia cum virgine, etc. et tamen constituant diversas species sub genere luxuriæ, quæ sub isto genere luxuriæ essentialis sunt, ut docet D. Thomas 2-2, quæst. cliv, per plures articulos. Et similiter de furto commisso in loco sacro, quod ex circumstantia loci trahit sacrilegium, dicit contineri sub furto, et adulterium, quod addit circumstantiam injustitiae dicit contineri sub luxuria, ut species sub genere in quæstione ii de malo, art. vi ad secundum et ad duodecimum. Et hoc ideo quia furtum sacrilegium, et adulterium tantum est una species, et unum peccatum, licet plures malitiæ retineat.

XXXVI. Alia vero est sententia Cajetani in hac quæstione xviii, art. x, et 2-2, quæst. cliv, ar. x, qui sentit istas species luxuriæ non esse cum rigore, et proprietate species, sed abusive, quatenus malitia unius circumstantiæ ordinatur ad aliam tamquam ad finem, vel principalius objectum, non tamquam species ad genus. Atque ita semper in linea morali constituerit actus in specie sua per ordinem ad objectum immediatum, et proprium talis actus, reliquæ vero circumstantiæ etsi addant speciem accidentalem, non tamen una cum alia ita coordinabi-

tur, quod constitutat speciem unam essentialiæ. Et fundamentum est, quia quando sic concurrunt in aliquo actu plures malitiæ, unaquæque illarum habet suum genus diversum, ad quod pertinet. Nam adulterium in quantum est injuria matrimonii, seu alterius conjugis, continetur sub genere injustitiae, et in quantum delectatio venerea extra matrimonium, continetur sub luxuria. Similiter furtum ex sua propria malitia continetur sub injustitia, et in quantum sacrilegium sub irreligione. Pertinent ergo istæ malitiæ ad diversa genera; sed genera ista sunt subordinata inter se, ut luxuria, et injustitia; ergo nec species. Unde S. Thomas citata quæstione cliv, art. i ad secundum dicit adulterium contineri sub luxuria, et sub injustitia.

XXXVII. Denique in hac quæstione xviii, art. x ad tertium utramque sententiam videtur S. Thomam amplecti, dum dicit: « Quod licet sint plures circumstantiæ unius actus, non tamen oportet quod unus actus sit in pluribus speciebus, licet etiam non sit inconveniens, quod unus actus moralis sit in pluribus speciebus moris etiam disparatis. » Ecce quomodo in prioribus verbis docet ex pluribus circumstantiis non resultare plures species, nec actum ponit in diversis speciebus; ergo sentit fieri ex illis, et ex genere actus unicam speciem essentialiæ. In verbis autem posterioribus docet non esse inconveniens, quod actus sit in pluribus speciebus disparatis. Non possunt autem plures species disparatæ manere, si una subordinatur alteri, ut species generi, ut superior et inferior. Utramque ergo sententiam probabilem reputat.

XXXVIII. Possumus nihilominus distinguere, quod circumstantiæ non pure aggravantes, sed distinctam malitiam dantes, possunt dupliciter

se habere. Uno modo sic, quod illa circumstantia dans distinctam malitiam habeat aliquam connexionem, et coordinationem per se cum objecto actus, et cum malitia illius, quatenus hoc objectum ex sua natura, et propria ratione respicere potest talem circumstantiam, et malitiam ejus. Alio modo sic, quod illa circumstantia non habeat per se connexionem cum tali objecto, et malitia ejus, sed solum conjungatur ex voluntate operantis.

XXXIX. Quando primo modo se habet circumstantia, et objectum, non est inconveniens, quod malitia circumstantiæ subordinetur malitiæ ex objecto, constitutaque cum illa, et conspiret in unam speciem essentialiæ, verbi gratia aliqua peccata ex ipsa propria ratione objecti immediate, et specificativi versantur erga alterum, sicut peccata luxuriæ, quæ committuntur in tertiam personam, et peccata injustitiae, quæ essentialiter sunt ad alterum. Non repugnat, quod circumstantia personæ afferat speciale malitiam, et talis malitia subordinetur malitiæ illi specificæ ex objecto, constitutaque speciem unam cum illa, quia subordinatur malitiæ ad alterum, et ex propria ratione, et specie tale peccatum ad alterum est. Et hac ratione defendi potest, quod species luxuriæ, quæ assignantur communiter a theologis, et tractantur a D. Thoma 2-2, quæst. cliv, sunt species essentialiæ, licet sumantur ex diversitate personarum importantium speciale deformitatem, et malitiæ alterius generis, seu peccati, verbi gratia erga personam uxoriatam, consanguineam, sacram, etc. Dici enim potest, quod cum luxuria sit peccatum, quod consummatur cum altera persona, idque ex specie sua habet, non mirum, quod quando ex parte personæ, quæ dat circumstantiam actui

importatur specialis aliqua malitia, illa subordinetur malitiæ, quæ ex objecto est, et constitutæ cum ea essentialiæ speciem, et sic intra genus luxuriæ etiam malitia injustitiae, aut sacrilegiæ ex parte personæ desumpta constitutat speciem essentialiæ, quatenus sic afficitur quis illicite erga personam aliquam, quod etiam injustitiam non recusat ut suam expletat libidinem; et idem est de sacrilegio per quod malitia contra religionem adjungitur malitiæ luxuriæ; et in incestu malitia contra pietatem, vel observantiam, quæ debetur parentibus, vel cognatis miscetur malitiæ luxuriæ.

XL. In his omnibus licet illæ malitiæ ortæ ex tali circumstantia personæ secundum se consideratæ pertineant ad diversum genus, verbi gratia ad injustitiam in adulterio, ad irreligionem in sacrilegio, tamen quatenus motivum luxuriæ afficit istas malitiæ, et ad eas se extendit, reducit illas ad suam speciem, quia utitur illis ut materia sui motivi, non recusando illas, et motivo suo affiendo. Unde redditur illa injustitia luxuriosa, et illud sacrilegium fit venereum, scilicet ut deserviens illi delectationi, ejusque motivo subjecta. Nec amittit suam particularem malitiam injustitiae, et irreligionis, sed eam subordinat novo motivo, et formalizat sub altera ratione, fitque luxuriosa ipsa injustitia, et species quædam luxuriæ, quatenus est luxuria se extendens ad formalizandum, et afficiendum diversam malitiam. Et idem est in peccatis ad alterum in injustitia, sicut homicidium per hoc quod sit erga patrem constituit speciem paricidii, quæ diversa est ab homicidio communi, et detractio, seu injuria verbalis, si sit contra Deum est species distincta, scilicet blasphemia. Non ergo repugnat malitiam ortam ex circumstantia ita su-

bordinari malitiæ ortæ ex objecto, quod essentialiter eam contrahat, et speciem unam constitutat, quando per se connexionem habet illa circumstantia cum illo objecto.

XLI. Cæterum quando circumstantia secundo modo se habet, quod non habet connexionem per se cum objecto, et cum malitia ejus, tunc non est necesse quod subordinetur ei, ita ut unam speciem essentialiæ constituat, sed si conjungatur cum objecto accidentalem speciem constituet illa circumstantia, quia cum non habeat connexionem per se cum illo objecto, sed per accidens adveniat, non potest ita affici malitia circumstantiæ a motivo objecti, ejusque malitia, ut ab illa essentialiter contrahatur, eique subordinetur; cum enim per accidens conjungantur istæ circumstantiæ cum illo objecto supponunt speciem ejus constitutam, nec possunt ei per se, et essentialiter subordinari, quia per accidens se habent, et consequenter neque possunt essentialiæ speciem cum illa constituere, quia ista constitutio nequit fieri nisi ex his quæ per se conjunguntur, et subordinantur.

XLII. Dices: Quando circumstantia habet connexionem per se cum malitia objecti etiam supponit speciem actus constitutam ex objecto; connectitur autem per se cum illa, sicut proprietas cum essentia, si quidem circumstantia illa non est objectum, nec transit in conditionem objecti, manet enim circumstantia, et supponit malitiæ objecti cui annectitur; ergo non potest essentialiter subordinari illi ut contrahat illam tamquam differentia essentialis genus.

XLIII. Confirmatur, quia nunquam potest differentia unius generis essentialiter contrahere id quod est sub altero genere, sicut non potest ratio habitus contrahere id quod

est genere potentiae, aut habitus unius speciei habitum alterius; ergo neque malitia injustitiae id quod est malitiæ luxuriae, aut quæcumque circumstantia unius speciei malitiæ alterius; ergo non potest ita subordinari malitia circumstantiæ malitiæ ex objecto, quod ex utraque fiat una species peccati essentialis, vel unius bonitatis. Quod si dicatur, quod in his circumstantiis quæ per se connectuntur cum objecto, motivum objecti afficit ipsas circumstantias, et extenditur ad illas, sic quesubordinat eas sibi essentialiter, et constituit cum illis speciem essentialiæ unam, contra est, quia etiam motivum objecti afficit circumstantias accidentales, et per accidens conjunctas, si quidem circumstantiæ non dant principale, et specificum motivum actus, sed circumstantiæ ipsum; ergo afficiuntur ab ipso, si quidem conjunguntur ei. Quare ergo non trahunt illas circumstantias ad unam speciem, et subordinant illas sibi essentialiter, sicut et alias, quæ per se connectuntur objecto.

XLIV. Denique confirmatur, quia contingit nonnunquam plures circumstantias conjungi per se in actu, quarum quælibet suam distinctam malitiæ affert, ut si quis cognoscat consanguineam uxoratam, consanguineam virginem, et sanctimoniale, simul ille actus est sacrilegium, stuprum, et incestus. Ergo vel ponitur simul in diversis speciebus, quod stare non potest, vel illæ circumstantiæ omnes constituant species accidentales, et disparatas, et sic nulla constituit speciem essentialiæ licet per se sint connexæ cum objecto, nec enim minus conjugantur cum persona in quam peccatur malitia sacrilegii, quam stupri, et incestus, etc.

XLV. Respondetur quod circumstantia per se annexa malitiæ ob-

jecti potest dupliciter illi annexi, vel taliter, quod supponatur objectum adæquate constituens, et specificans actum, vel taliter quod ratio motiva, et specificativa non constitutur adæquate ab objecto sine ordine, et complemento aliquo desumpto a tali circumstantia, que hac ratione transit etiam in conditionem objecti quatenus objectum non movet, neque specificat independenter a tali circumstantia. Itaque ut uno verbo dicamus, aut circumstantia pure pertinet ad individuationem, et exercitium actus, aut pertinet etiam ad specificationem, quatenus aliquando objectum non potest specificare sine ordine ad talem circumstantiam, sicut illæ virtutes, aut vitia quæ essentialiter sunt ad alterum, non habent circumstantiam personæ solum pro individuatione, et exercitio actus, sed etiam pro specificatione; et ideo ea quæ ex parte personæ se tenet; et videntur ad circumstantiam accidentalem et individualem pertinere, etiam ad specificationem pertinere possunt, quia ex ipsa essentiali ratione sua ad alterum sunt, et ea quæ ex parte personæ se tenent, respiciunt etiam antecedenter ad individuationem, et accidentale exercitium actus.

XLVI. Quare si circumstantia sit per se connexa cum objecto actus habente in se totam, et sufficientem rationem movendi, et specificandi actum, tunc non transit in conditionem objecti, neque pertinet ad specificationem, aut ad contrahendam speciem actus, neque subordinatur illi ut essentialiæ speciem constitutat, sed constitutam supponit ex objecto adæquate, et totaliter, et sic quando illi advenit, jam non potest dare speciem, neque contrahere, sed ejus propria passio adjungi, et ut accidens ejus. Et hoc maxime appetat in circumstantia quid, quæ

est circumstantia effectus, seu danni secuti, aliquando enim per se sequitur effectus, seu damnum ex aliqua actione de se periculosa, ut ex publico peccato scandalum, et tunc non dat speciem illa circumstantia, licet per se connectatur cum peccato. Si vero talem habeat connexionem circumstantia cum objecto, quod motivum, seu specificativum objecti sic compleri possit, aut dependere a circumstantia illa, ut verbi gratia, quia ipsa malitia, seu specificatio, quæ est ex objecto crescit, aut variatur ex adjunctione malitiæ circumstantiæ, et diversum modum specificandi recipit, sicut aliter se habet in movendo luxuria cum conjugata, vel consanguinea, quia veluti majora vincula rumpit, ut expletat libidinem; tunc ex subordinatione circumstantiæ sumitur diversa species essentialis.

XLVII. Ad primam confirmationem respondetur juxta solutionem in ea insinuatam, quod malitia alterius generis, seu speciei potest dupliciter considerari. Primo secundum se, et sic non potest una servire pro contrahenda altera essentialiter. Alio modo potest considerari malitia unius speciei, ut afficitur a malitia alterius, et quasi materiam illi præbet, aut modum, ut diversimode moveat, aut specificet; et tunc bene potest illa malitia alterius generis sic affecta contrahere essentialiter aliam: sicut in adulterio injustitia quæ fit conjungi, ut afficitur vehementia libidinis et intemperantiæ, trahitur ad speciem ejus, et sic non contrahit essentialiter intemperantiæ ut injustitia est formaliter, sed ut libidinosa formaliter, et injustitia materialiter, quia libido est tanta, ut etiam injustitiam faciat, materiam sui, quatenus utitur re injusta ad explendam libidinem, et sic illa libido, quæ tanta est, ut injustitiam, aut religio-

nem vincat committendo adulterium, vel sacrilegium, diverso modo movet voluntatem in concupiscendo, et diversum dictamen format etiam intra genus libidinis, quia modo magis extraordinario se habet libido dum tanta est, ut etiam dictamina justitiae, aut religionis corrumpat, et sic irreligio, aut injustitia prout affecta, aut corrupta ex libidine contrahit ipsam essentialiter, et intra genus libidinis.

XLVIII. Et si instes: Nam hoc non addit distinctam deformitatem formaliter, et specificie in genere luxuriæ; sed solum differentiam penes, magis et minus, quia si est vehementior, et intensior luxuria etiam contra justitiam, vel religionem facit, non vero illa, quæ minus vehemens, et minus intensa est.

XLIX. Respondetur non consistere hoc in majori, vel in minori intentione luxuriæ, sed in majori, vel minori contemptu Dei orto ex motivo luxuriæ, potest enim aliquis ardentissimo affectu peccare cum soluta per simplicem fornicationem, et valde remisso, vel nullo cum conjugata. Itaque intensio, vel remissio luxuriæ quantum ad majorem delectationem non variat speciem luxuriæ, neque hoc constituit adulterium, vel stuprum, quia delectabilius quis operetur, et vehementius in his peccatis, quam in simplici fornicatione; sed dicitur esse majorem, vel minorem libidinem ex parte malitiae, et contemptus Dei, quando videlicet est talis malitia luxuriæ, quod ex illa movet etiam ad corruptendam justitiam, vel religionem, licet non sit ita vehemens, et intensa in ratione ardoris, vel delectationis, quia (ut diximus) bene potest aliquis intensius operari in peccato minoris gravitatis, ut in simplici fornicatione, quam in adulterio. Quando ergo crescit in mali-

tia, et contemptu Dei luxuria etiam circa alias virtutes potest præbere motivum diverse speciei, etiam intra genus luxuriæ, non quando solum crescit in intensione, et fervore, aut vehementia.

L. Ex hoc autem etiam manet soluta replica posita supra in hac prima confirmatione, cum dicitur, quod etiam motivum objecti afficit circumstantias per accidens conjunctas, quare ergo non trahit illas, et subordinat sibi ad constituendam speciem essentialiem, dicimus esse longe diversam rationem, quia circumstantiae per accidens conjunctæ non sunt capaces nisi ut afficiantur etiam per accidens a motivo objecti, et consequenter non possunt cum eo constituere unam speciem essentialiem, nisi ipsa ratio objecti destruatur a circumstantia, transeatque ista in conditionem objecti. Circumstantiae vero, quæ per se sunt conjunctæ objecto specificanti, non repugnat sic modificare ipsum motivum objecti, et affici ab eo ut possit inde resultare unum specificum, et essentialie motivum, quando videlicet non adæquate specificat objectum, nisi cum ordine aliquo ad circumstantiam, quæ ex hoc transit in conditionem saltem inadæquatam objecti, ut supra dictum est. Quando autem adæquate objectum se ipso specificare potest, circumstantia illa etiam per se conjuncta non potest speciem unam essentialiem constituere.

LI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod quando illæ plures circumstantiae concurrent in actu, ita quod quælibet de se est sufficiens constituere speciem, vel æque primo voluntas fertur in ipsis, easque admittit, seu non recusat, vel cum aliqua subordinatione, vel inter se, ita quod unam prius intendit quam aliam, vel in uno tertio, quod primo, et per se respi-

citur ab actu, et potest dare illi speciem, materialiter vero, et secundario illæ circumstantiæ se habent. Si in illis circumstantiis est subordinatio, vel inter se, vel cum uno tertio, facile judicari potest, quod illa, quæ prius intenditur est, quæ dat speciem essentialiem, quia ex hoc ipso quod primo intenditur dat primam speciem, et cum quælibet ex illis circumstantiis de se sit sufficiens constituere speciem essentialiem, si sit prima, et ipsi actui conveniens primo, et non consecutive, seu secundario si una accipitur, et intenditur per se primo, hoc ipso dabit speciem essentialiem, reliquæ accidentaliter se habebunt, verbi gratia, si in exemplis allatis in confirmatione si unica persona cum qua peccatur sit virgo, et consanguinea, et monialis, et iste afficitur primo, et directe ad virginem, quia hoc magis complacet suæ libidini, essentialiter erit stuprum illeactus; accidentaliter vero incestus, et sacrilegium, secus si incipiat ab alia circumstantia, ut a primo volita, et per se.

LII. At vero si æque primo velit tendere in omnes illas circumstantias, et sine subordinatione unius ad alteram, et id facit cum advertentia malitiæ omnium illarum, dico quod non potest unico actu interno electionis omnes illas circumstantias eligere, sed pluribus, esto possit ex unica intentione moveri ad omnes illas malitias acceptandas, et unico actu externo sensibili possit omnes illas exequi. Non potest unica electione omnes illas malitias eligere, quia quælibet illarum est sufficiens dare speciem actui essentialiem, ut patet si una solum ex illis sine alia sit volita; ergo si omnes simul ex æquo, et sine subordinatione sint volitæ, pluribus actibus, et non unico debent attingi, quia non potest unicus actus plures spe-

cies essentiales habere, et unico actu plura simul formaliter velle. Et quando dicit S. Thomas supra quæstionem XII, artic. III: « Quod potest voluntas simul, et unico actu plura simul etiam non subordinata intendere, » loquitur de pluribus materialiter concurrentibus, non subordinatis inter se, unitis autem in aliquo uno tertio, a quo immediate accipitur species, ut ibi significat S. Thomas solutione ad tertium, non vero quod sint plura non subordinata etiam formaliter, seu specificative, ita quod dent, et constituent plures species æque primo.

LIII. Quod vero possent illi actus unica ex intentione oriri, aut unico actu intendi ex eo patet, quia intentio illa solum respicit explicationem propriæ concupiscentiæ, et convenientiam propriam, quam habet pro fine ultimo etiam excludendo Deum, juxta illud ad Philip. III: *Quorum Deus venter est: et illud Sapient. II: Nullum sit pratum quod non per transeat luxuria nostra.* Cæterum cum postea determinantur in singulari media quæ eligenda sunt pro isto fine propriæ convenientiæ, et delectationis, et ista habent suas determinatas species, si illa æque primo, et sine subordinatione inter se, vel in aliquo tertio electa sunt, diversas species habent essentialies, et consequenter diversos actus morales. Cur autem non possint unico actu entitativo, et in esse physico omnes illæ circumstantiæ attingi, cum omnes istæ species morales sint accidentales actui in esse physico? De hoc dicemus amplius disputatione sequenti, articulo primo. Licet enim moralitas actuum sit accidentalis entitati physice eorum, tamen quia non potest voluntas plura specificativa in una linea, et ordine unire nisi intra illum ordinem (supposito quod in illo non sunt denominations extrin-